

XIV. Ultimo, arguitur auctoritatibus contra divinitatem Spiritus sancti. Nam significatur Spiritus sanctus esse factus, et creatura, ut cum dicitur Annos IV: *Ego firmans tonitru, et creans spiritum*: Joelis II: *Effundam de Spiritu meo*, quæ effusio non fit nisi per processionem ad extra; et Joannis I: *Omnia per ipsum facta sunt*, ubi ly omnia nihil excipit, etiam Spiritum sanctum. Item significatur esse minor Deo, tum quia dicitur postulare pro nobis Rom. VII: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Dicitur etiam mitti a Deo, missio autem servorum et ministrorum est, quia per imperium mittentis fit, Joan. XV: *Spiritus veritatis, quem ego mitto vobis a Patre*. Denique, confirmatur quia solum Filius procedit in Deo per naturam; ergo Spiritus sanctus non per modum naturæ procedit, sed libero arbitrio, et arte. Hoc autem proprium est creaturæ.

Respondetur in illo loco Amos, non sumi pro Spiritu sancto sed pro vento, qui etiam spiritus appellatur, ut Exodi XV: *Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare*: et Psalm. CVI: *Dixit, et stetit spiritus procellæ*: et Psal. CXLVIII: *Spiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus*. Expositio est Hieronymi, Theodoretii, Ruperti super illum locum, et Basilii lib. III contra Eunomium. In illo loco Joelis, si effusio spiritus sumatur pro gratia et charitate, quæ in nobis per Spiritum sanctum diffunditur, aliquid creatum est; si pro ipsa Persona Spiritus sancti effusio illa est idem quod missio, quæ est processio interna personæ cum connotatione novi effectus ad extra, in quo designatur illa missio, et sic convenit Personis divinis procedentibus ut mox dicemus. Locus Joannis non urget, quia loquitur de omni factibili, non de omni ente, alias

etiam ipse Pater esset factus et creatus. Ad id quod objicitur de inferioritate Spiritus sancti dicimus illum non postulare formaliter, sed causaliter, quia facit nos postulare. Quæ expositio traditur ab Augustino lib. I contra Maximinum non longe a principio: « Quia ipse de quo dixit Apostolus clamantem: Abba Pater, in alio loco dixit: In quo clamamus Abba Pater, ita quod exposuit quid sit clamantem, dicendo in quo clamamus, quia scilicet facit nos clamare. » Quod vero dicitur Spiritus sanctus missus, sicut et Filius, in neutro loquitur de missione facta ex imperio, sed missio et processio cum aliqua manifestatione et signo visibili facta in tempore. Talis autem missio non obstat divinitati Personæ missæ, quia non mittitur ubi antea non erat, sed ut manifestetur ubi ante non manifestabatur in aliquo novo effectum. Nam quod Spiritus non mittatur, ubi antea non erat, patet ex illo Psalmo CXXXVIII: *Quo ibo a Spiritu tuo?* Et Filius missus est in mundum, ubi antea erat, Joan. I: *In mundo erat, et mundus eum non cognovit: in propria venit, etc.*

XV. Ad confirmationem respondetur, quod procedere per modum naturæ dicitur duo, scilicet procedere necessario, seu naturaliter, et procedere per modum imaginis, et similitudinis sui principii. Utrumque simul invenitur in processione Verbi divini; et ideo est Filius, ut infra dicitur. In processione autem Spiritus sancti invenitur primum, scilicet processio naturali et necessario modo, sed non secundum, quia procedit per modum impulsus, non imaginis. Nec tamen omnis processio voluntatis est libera, aut per artem, sed etiam naturalis et necessaria dari potest, quando est per amorem objecti quod est summum bonum, ut in amore fruitionis divinæ.

NON REPUGNAT DIVINÆ NATURÆ MULTIPLICATIO PERSONARUM AD INTRA.

XVI. Inter difficultates quæ circa hoc mysterium oriuntur (plures proponit S. Thomas IV contra gent. c. X et solvit capite XIV), una est, quia hoc mysterium quod propter summam eminentiam et perfectionem Deo tribuitur, videtur potius posuit eminentiæ summæ divinitatis repugnare. Nam in primis processionem ad intra si veræ et reales sunt, aliquam distinctionem in ipsa substantia debent ponere. Nam relationes ipsæ in eo ipso in quo distinguuntur inter se, adhuc aliquid reale sunt, alias realiter non distinguerentur. Illud ergo reale in quo distinguuntur non est aliquid reale accidens: hoc enim in Deo non datur: est ergo realis substantia. Quomodo ergo evadere volumus, quod non detur distinctio in substantia, sed in relatione, si ipsa relatio etiam ut distinguitur realiter ab alia, et in eo in quo distinguitur, substantia est? Ad hæc processionem istam in Deo ideo sunt reales, quia versantur inter extrema realiter distincta: id enim est de essentiali ratione processionis realis, et ista extrema non sunt realiter distincta in substantia, et natura, sed solum in relatione. Et rursus relationes ideo sunt realiter distinctæ, quia fundantur in processionibus realibus: ergo committitur circulus aut petitur principium.

XVII. Confirmatur, quia licet natura intellectualis ex sua fecunditate et abundantia sit productiva Verbi, tamen quando natura intellectualis est actus purus, et in ultimo totius actualitatis per seipsam est species expressa, et Verbum, et terminus intelligendi: ergo tali na-

turæ repugnat productio, et processio Verbi, cum per seipsam in vi et ratione actus puri sit ipsum Verbum, et species expressa, et ita sicut homini qui formavit verbum non convenit per contemplationem amplius producere, sed in verbo producto contemplari, ita divinæ naturæ non convenit producere Verbum, sed in seipsa contemplari. Quod si ex abundantia et fecunditate producit illud, non apparet ratio, cur etiam ipsa Persona Verbi, et Spiritus sancti non producant ex eadem fecunditate illud Verbum, et illud aliud usque in infinitum? Quod utique inconveniens est.

XVIII. Confirmatur secundo, quia repugnat intelligere processionem seu productionem non habendo esse ab alio, et repugnat intelligere esse divinum quin sit a se. Quomodo ergo potest intelligi quod Persona sit divina, et sit ab alio cum communicatione ipsius esse divini? Et præsertim, quia Verbum et Spiritus sanctus identice sunt ipsa essentia Dei, et necessario. Quando ergo intelligimus naturam seu essentiam in Patre, jam ibi identificatur Filius et Spiritus sanctus. Non ergo est intelligibile quod accipiant illud esse divinum per communicationem et productionem, cum habeant illud per summam identitatem cum essentia. Similiter productio petit quod id quod procedit sit dependens a producente, sit posterius illo, sit transiens de actu primo ad secundum, seu de non esse ad esse, quia id quod est ens necessarium, et independens, et a se, tale est quod omni alio circumscripto habet esse; quod autem esse procedens et productum ab alio, non habet esse secluso suo producente: ergo repugnat in ente necessario seu divino intelligere productionem seu processionem.

XIX. Respondetur negando quod